

XII. fol. 98. *Bernhardus de disciplina nouiciorum*. Alias Opusculum: *Ad quid venisti*, rejectum inter incerta T. cit. col. 809. nam et apud *Bonaventuram* legitur edit. Lugd. 1668. T. VII. p. 613. in scriptum de *Institutione Novitiorum*, et inter *Davidis de Augusta* Opuscula T. XXV. *Bibl. PP.* Lugd. f. p. 867. titulo *Formulae Novitiorum*. In Exemplo nostro haec praemittuntur: *Per cottidianam experientiam semper melius intelliges, quod quanto quisque altius proficit in virtutis accione,*

tanto clarius videt, quid adhuc sibi deest, et qualiter ad ea, que restant, debeat pervenire. Pf. A mandatis tuis intellexi. Primo ergo semper debes considerare &c. Sic igitur Libellus deinceps decurrit, sed non uno loco contractior.

XIII. fol. 100. Inducuntur VII. sic dicta *Vitia capitalia*, totidemque *Virtutes* illis obpositae versu naturam suam explicantes, ita, ut versibus singulis una ex VII. earum Filiabus seu proprietatibus declaretur. Res in exemplo liquebit. *Superbia* dicit:

<i>Cetera dum sperno, memet transcendere quero.</i>	— <i>Ambitio.</i>	} <i>Filie.</i>
<i>Nescio parere, nisi iussa recuso tenere.</i>	— <i>Discordia.</i>	
<i>Extollor verbis mea magna loquendo superbis.</i>	— <i>Jaſtantia.</i>	
<i>Quod videor grata, mihi dat virtus simulata.</i>	— <i>Ypocrisis.</i>	
<i>Hec parui reputo, que meliora puto.</i>	— <i>Contentio.</i>	
<i>Me credo tanti, quod sim par altitonanti.</i>	— <i>Presumpcio.</i>	
<i>Non male concepta, sed mutabo bene cepta.</i>	— <i>Pertinacia.</i>	

Sed cum *Virtute V.* quae est *Largitas*, obmutescit Chorus.

XIV. Fol. 108. usque ad finem *Codicis* congesta sunt *Exercitia* Scholastica disputatoria, seu *Quodlibetica* e *Logica*, *Metaphysica*, *Phyfica*, *Mathesi*, *Astronomia* et *Theologia* in *Academia Pragensi* celebrata, et saepe in utramque partem instituta, additis frequenter *Proponentium* *Nominibus*. Ita occurrit *M. Gregorius de Praga* in *Quodlibeto M. Hufs.* *M. Policz.* *M. Paulus de Praga.* *M. Hufs.*, cujus *Quodlibeti* *Quaestio* principalis fuit: *Vtrum a primo ente intellectu et immutabili omnipotenti omniscienti dependeat optima dispositio uniuersi.* *M. Cri-*

stannus dictus alias *de Prachaticz.* *M. Steph. Palecz.* *Sdeniko*, cui *Ducis* titulus in *Codice* praepositus videtur. Desinunt *Exercitia* haec, utinam tam utilia, quam acuta in *Tractatulos III.* *Dialecticos*, quorum primus de *Suppositionibus* subnotatur: *per manus Blasij filij Bricij de Roycha Anno domini Millesimo CCCC° quindecimo.*

DCXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 189
Folior. 308. 4. non una manu, partim lineis longis, partim per duas columnas cursim exaratus, legatusque olim ad *librariam domus collegij ducalis Wienne* a *M. Jo-*
doco

1431

C O D I C E S

1432

doco *Weiler de Halprunna*, qui annis 1433. 39. et 47. Academico Reſtoratu functus obiit anno 1457. Farraginem Scriptorum continet, quam recenseo. I. *Tractatus*, ut e calce adſumo, *reſponſions editus in concilio Conſtantiensi per magiſtrum Nicolaum de dinkelspübel ſacre theologie atque arcium profeſſorem de uniuerſitate Wien. Ambaſiatorem* (non Uniuerſit. ſed) *Alberti Ducis Auftrie*. Porrecta erat *Sigismundo Rom. Regi in Concilio longa Series Teſtimoniorum e ſacris Literis et PP. pro Communionem ſub Utraque* compilata a *Jacobo de Miſa*, et in *Commentariis* noſtris non ſemel relata, ut *Vol. I. P. 2. col. 1627. 1734. &c.* Oppoſuit Seriem ſimilem *Mauritius de Praga* pariter a nobis indicatam *I. cit. col. 1627.* Edidit et hanc et illam *Herm. von der Hardt*, ut ibi dixi. Edidit inſuper et pariter *Mauritio* tribuit *T. III. col. 826.* eam, quam prae manibus habemus, quamque, etſi manifeſte adlata clauſula *Nicolao* vindicat, nullibi inter *Theologi noſtri Scripta* relata reperio. Reſpondet illa directe *Jacobo de Miſa*, ejus conſuſiones impugnat, et exponit adlata ab eo *Teſtimonia*. Inſitium mucore corruptum eſt; videas tamen *Scriptum* iſtud a *Viris ſapientibus*, qui circa *Principem* erant, petiſum fuiſſe, ut clarius informarentur. Poſitis dein *Adverſarii Conſuſionibus* proſequitur: *Et quod iſte due pretenſe conſuſiones ſint erronee et doctriſis doctorum et ſanctorum ac rationabili eccleſie*

conſuſuetudini ymo et determinacioni ſacri generalis Conſtan. concilij contrarie &c.

II. fol. 31. *Tractatus Johannis de Gerſonis contra communionem laycorum ſub utraque ſpecie*. Inſit jam non ſemel relatus: *Oblaturus iuxta ſeniorum huius ſacri concilij Conſtan. &c.* Ad calcem notatur anno 1417. die XX. auguſti. per *Dominum johannem de gerſonis &c.*

III. fol. 37. e calce: *Auiſamentum M. Nicolai de Dinkelspübel — in concilio generali Conſtan. ſuper articulis extractis de ſatira M. Joh. Valkenberg &c.* quos *ambaſiatores Regis polonie maxima cum importunitate et inſtancia* petierunt per ſatum *Concilium* et poſtea per *papam Martinum V.* ut *hereticos* conſuſnari, ſed non optinuerunt intentum, licet *importuniſſimi fuiſſent et etiam in conſuſione Concilij coram Domino papa et toto concilio cum maximis clamoribus importunitatibus miniſ et proteſtationibus de appellando* hec *peciſſent in loco ſeſſionis publice eccleſie Conſtan.* *Equitum Cruciferorum* alumnus erat *Johannes iſte de Falkenberg Pomeranus* ex *O. P.* qui tunc cum *Polonis* bella gerebant. *Libelli* ejus, unde *extracti* fuere *Articuli*, titulum habes in *Scriptt. O. P. T. I. p. 760.* ubi et tota rei geſtae ſeries et caſtigatio turbidi capitis reſertur. Licet ea etiam ex *Hardtii T. IV. Ab. Conc. Conſt. P. XII. p. 1531. et 56.* cognoscere. *Rogatus ſententiam Dinkelspübelius* noſter iſta ingreditur: *in ſententia auſata*

auisata per iudices fidei circa materiam polonorum sunt XI. assertiones que extracte sunt de tractatulo M. Job. Valkenberg, de quibus queritur primo, an sint sapientes heresim scandalose injuriose &c. Secundo an etiam aliquae earum sint hereticales et erronee in fide. &c. Adfirmat primum Noster, negat secundum utrobique additis rationibus. Alterum igitur hic habemus laborem ejus conciliarem, quem nemo, quod sciam, notavit.

IV. fol. 43. p. 2. Job. Gersonis Opusculum de Praeceptis, de Confessione et de Scientia mortis. Hic quidem ἀνεπιγρφος, sed in Elencho, qui ad calcem Codicis habetur, Autori suo tributum. Init: Christianitati suus qualiscunque zelator &c. Ut Vol. I. P. 2. col. 1529. et alias.

V. fol. 55. p. 2. Confessio composita per D. Cardinalem Cameracensem. Puta Petrum de Alliaco. Sed non reperi in ejus Scriptorum recensu apud Tritheimium, Lanojum, Oudinum, Fabricium. Nequeo tamen Codicem erroris coarguere, qui tot Petro Συγγεγονα continet. Incipit Institutio nostra: Quisquis a morte peccati ad salutis et gratie statum velit resurgere, et ut actus sui et intentiones ad vitam eternam utiles sint &c. Instituitur deinceps examen secundum VII. illa Peccata dicta Capitalia. Succedunt X. Observanda, qualiter rite facienda sit Confessio, Formula Absolutionis, et Methodus disponendi Infirmos ad suscipienda Sacramenta et pie obeun-

dum. Finis: sicut in domo dei (Hôtel Dieu) parisius laudabiliter observatur.

VI. fol. 62. Ventilantur et rite deciduntur Quaestiones hae: 1) Vtrum sit licitum emere uel vendere possessionem uel redditum sub tali pacto. quod quando restitutum fuerit precium rescindatur contractus et recuperetur possessio uel redditus ita quod fructus non restituantur? 2) Vtrum accipere aliquid ultra sortem semper sit usura? 3) Vtrum ille qui in contractu emptionis alium decipit circiter dimidium iusti precij teneatur restituere? 4) Vtrum restitutio semper sit facienda illi, cui res est ablata?

VII. fol. 75. Sermo factus ad sacrosanctum generale concilium Constan. per M. petrum dictum de pulka sacre theologie et artium professorem de ambasiata alme uniuersit. Studij Wien. in austria Anno domini 1416. dominica 13. que erat VI. dies septembris. In illud Luc. 17. Ite ostendite vos sacerdotibus, incipit: Reuerendissimi &c. Imperfectum meum videntibus oculis meis &c. Non semel indicatus Vol. sup.

VIII. fol. 89. Absque inscriptione, sed juxta Elenchum supra cit. Tractatus editus per modum dialogi de potestate ecclesiastica incipit: Petrus. Nunc restat tibi, vt que de natura titularum beneficialium est sentiendum in medium edisseras &c. Habemus igitur prae oculis Speculum aureum Papae, nisi is titulus seculo primum XVI. et VII. excogitatus sit a Goldasto et

et *Edw Brown* T. II. *Monarch. Imp.* p. 1527. et T. II. *Fasciculi Rer. expet. et fugiend.* p. 63. primis Editoribus, qui *Paulum Anglicum* aliquem autorem statuunt a. 1404. Et re ipsa in Operis calce annus is memoratur. Retuli illud *Vol. sup.* Exemplo praesenti deest Praefatio.

IX. fol. 125. Executiuntur Quaestiones sequentes: 1) *Vtrum modi qui communiter seruantur in ordinationibus possint excusare a vicio simonie?* 2) *Vtrum a simoniaco notorio ex euidencia facti in ordine licite recipiantur ordines ab his quibus confert non simoniace?* 3) *Vtrum simoniacus occultus a sciente ipsum esse talem sit vitandus?*

X. fol. 131. p. 2. *Collatio Manfredi* (de Cruce) decretorum Doct. Abbatis sancti Ambrosij Mediolan. Ambasiatoris ducis Mediol. (Philippi Mar.) in presenciam Regis Ro. (Sigismundi) Constantie XVIII. (18?) febr. a. d. XV. Init: *Domine ego servus tuus sum. Ps. CXV. Serenissime &c. Docet efficax magistra rerum experientia &c.* et edita est ab *Herm. Hardtio* T. V. *Astor. Constant.* p. 109.

XI. fol. 133. p. 2. *Collatio episcopi Carcasion. ambasiatoris Regis Francie* (Caroli VI.) exponentis ambasiatam suam in publica sessione. Si generalis intelligitur, habita est illa a. 1415. 26. Martii, cuius die 5. Legati Gallici Constantiam adpulere, ut est in *Fastis Concil.* apud *Hardtium.* Episcopus noster est *Geraldus* (du Puy) de Podio. Oratio eius incipit a verbis *Isaiae C. LVIII. Dissipa colli-*

gationes impietatis &c. et mox *Sigismundum* vocat annuente Christo futurum in proximo imperatorem. Mire ampullosa est, sed parum progreditur destituta, quod dolendum, a Librario.

XII. fol. 134. *Sermo*, ut in Elencho, *M. Petri de pulka doct. theol. de B. petro et paulo.* In illud *Eccl. 44. Hi sunt viri misericordie.* Initium est: *Geminatam hodieerne festiuitatis leticiam &c.* *Habitus Constantiae* relatus jam est *Vol. I. P. 2. col. 1566.* et alibi.

XIII. fol. 144. *Scriptum*, quod in Elencho audit: *Tractatus de sacramento eukaristie contra tractatum M. Jacobelli*, et incipit: *Pietatis inexpugnabilis impiissimus oppugnator quidam pseudo predicator Magister Jacobellus nomine quoddam scriptum erroribus referunt de usu sacramenti eukaristie — prage edidisse dicitur, quod incipit: Ihesus diligens suos fideles &c.* Neque de Scripto isto *Jacobelli*, quod ad primos controversiae motus pertinere videtur, neque de confutatione praesenti, quam *Constantiae* elaboratam putem, quidquam compertum habeo.

XIV. fol. 151. *Motiva quare reseruaciones beneficiorum seu gratie expectative amodo non expediunt pro bono regimine ecclesie vniuersalis.* Sunt numero Novem quibusdam observationibus stipata.

XV. fol. 152. *Incipit Collatio facta in condemnatione Johannis Hufs.* In calce nominatur Autor *M. Jacobus Episcopus Laudensis.* Initium: *Diuini ac summi presidii supplici inuocatione confisus &c.*

Ut

Ut *Vol. I. P. 2. col. 1654. et pluries.*

XVI. fol. 154. Quaestiones duae discussae: 1) *Vtrum quilibet christianus ex professione facta in baptismo teneatur indispensabiliter sub pena dampnationis eterne fidem catholicam defendere et eius aduersarios usque ad mortis interitum persequi?* Respondetur negative et sub finem exclamat ignotus Autor: *Benedictus deus qui data tali questionis occasione nos in hanc catholice veritatis elucidationem toties haecenus ventilatam introduxit!* Quod Constantiae factum esse censeo. 2) Propugnatur, et quidem ab *Jurista*, ut ait Elenchus, haec Thesis: *Recipiens ordinem secundum modum nunc currentem communiter non est symoniacus iudicandus nec in foro penitentie nec in foro contencioso, dummodo habeat bonam fidem, quod recipere aliquid per collatores sacramentorum in aliquo casu fieri potest sine peccato.*

XVII. fol. 162. Tetras *Libellorum* seu Sermonum B. Augustino perperam adscriptorum 1) *De miseria hominis.* Init: *Fratres ka-*

rissimi quam tremenda est dies illa &c. Extat in Append. T. V. edit. Maur. col. 413. 2) De honestate mulierum. Init: *Nemo dicat fratres quod temporibus nostris &c. Ibid. col. 488. 3) De die iudicii.* Init: *Recogitemus fratres karissimi cuncta mala &c. Ibid. col. 412. 4) De contemptu mundi ad clerum.* Init: *Audite fratres karissimi salutarum &c. Ibid. col. 293.*

XVIII. fol. 173. *Traктatus de confessione.* Ita Elenchus. Ingreditur: *Quoniam fundamentum et ianua virtutum omnisque gratie ac spiritualis consolacionis principium est conscientie puritas &c. Taceatur Autor, qui est Thomas Aquin.* ut habes Edit. *Opp. Romae 1570. T. XVII. Opusc. LXIV. fol. 101.*

XIX. fol. 190. p. 2. ex Elencho: *Traктatus de Doctrina loquendi ac tacendi, quem jam ἀνανομιον indicavi Vol. I. P. 2. col. 1771.* Autor mox sub ingressum proditur: *Ideo ego albertanus brevem doctrinam super dicendo atque tacendo vno versiculo comprehensam tibi filio meo (tertio) stephano tradere curavi. Versiculus autem hic est:*

Quis. quid. cui. dicas. cur. quomodo. quando. requiras.

Sex ista Capitibus traduntur, sed Codex mox in tertio, five in *Cui* abrumpitur. Integrum autem et non indoctum Opusculum saepius jam Sec. XV. prelo subiectum fuit, ut videre est apud Bibliographos, quin ipso Autoris aevo italice versum. Fuit *Albertanus* Sec. XIII, non XII. ut erratum in *Bibl. Fa-*
Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

bric. med. Lat. de ora, non ore, ut quidam scripsit, S. Agathae, qui vicus est Brixiae, Caussidicus ibidem et Judex. Adi de eo, ejusque Scriptis Mazzuchellii Scritt. d'Italia Vol. I. P. 1. p. 294.

XX. fol. 198. *Determinaciones sanctorum Doctorum qui sunt hic constantie pro cottidiana uel crebra*
com-

communione sacramenti altaris a plebeis cristianis. Adducuntur in hanc rem praemissa expositione controversiae, quae incipit: Itaque ista erit aptissima regula ad propositum perutile &c. Johannes Horlean, Franciscus Can. S. Crucis in Vratislavia, M. Wendelar Decanus ibid. Matheus de Cracovia, Adalbertus Ranconis, F. David de ordine minorum, (Matthaeus, feu Gallus?) Abbas de Aula Regia, Militius, Simon de Cassia, Quoddam Collegium Magistrorum, Bonaventura, Amandus (five Henr. Saso) Glosa ordinaria, Thomas de Aquino, Bernhardus, Innocentius III. Cassianus, Anselmus Cantuar. Caesarius Arelat. Job. Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Jeronimus, Anacletus, demum Paulus, Acta Apost. et Evangelium. Erant igitur jam tum, quibus hae Autoritates obponebantur, qui, ut ait sub principium Collector noster, nitebantur summis conatibus inducere et persuadere, quod nequaquam sit bonum, laycos sepe corpore christi et sanguine saciari. Has Autoritates invenies etiam Vol. I. P. 2. col. 1710.

XXI. fol. 215. Ammonicio de laude caritatis et quomodo cunctis virtutibus preferatur. Incipit: Tue non immemor pie petitionis carissima mater &c. et jam relata est Episcopi Adelberi nomine Vol. I. P. 1. col. 797. Verum in praesenti Exemplo praefixam habet Adlocutionem ad Fratres quosdam, quae incipit: Novit dilectissima caritas uestra, beatum petrum — lo-

cutum fuisse: Sobrij estote &c. quamque certe aliunde dereptam putassem, nisi sub ejus finem legerem: Quicumque fecerit voluntatem patris mei — ipse meus frater et soror et mater est. Hanc praefationem sequentis opusculi cauta consideratione debemus meditari &c. Atqui Opusculum, ut vidimus, ad Matrem dirigitur. Defuit haec Praefatio in Codicibus visis a Bern. Pezio, quem l. cit. primum Evulgatorem dixi.

XXII. fol. 225. Pentas Sermonum, quorum 1) De Malicia pruarum Mulierum hoc initio: Heu me quid dicam, unde sermonis exordium faciam &c. 2) De descensu christi ad inferos hoc initio: Exulta celum et in letitia esto terra, quoniam iste dies nobis amplius ex sepulcro radiavit &c. 3) De natiuitate domini hoc initio: Accipe puerum istum et nutri eum, et dabo tibi mercedem tuam. Exod. 2. Hystoria huius uerbi &c. 4) De natiuitate Beate Virginis hoc initio: Audite disciplinam et estote sapientes. Prov. 8. c. Gloriosissimam dei genitricis virginis marie natiuitatem &c. 5) De Sobrietate et ebrietate hoc initio: Cum ebrietatis malum fratres karissimi sit graue nimium &c. Latet Autor, nec id magno Reip. literariae dispendio.

XXIII. fol. 234. Aliud Exemplum Quaestionis primae N°. XVI. indicatae.

XXIV. fol. 236. ex Elencho: Cujuslibet psalmi continentia, seu de quo principaliter tractet. Divisio est in VII. Nocturnos, modus pro-

1441

P O L E M I C I.

1442

procedendi talis: *Consideracio processus humani generis, quomodo quidam proficiunt ad beatitudinem quidam vero deficiunt ab ipsa.* Psalmus. Beatus vir qui non. 2) Ter-

ret malos, ut non insurgant contra bonos, qui grauitur puniuntur a christo. Quare fremuerunt gentes. Et sic per omnes. Ad calcem:

*Ter quinquagenos Dauid canit ordine psalmos.
Versus bis mille sexcentos sex dedit ille.*

Additur:

*Quatuor ex puris vitam ducunt elementis.
Terra cibatur talpam, flamme pascunt salemandram,
Vnda fit alleci cibus, aer camaleonti.*

XXV. fol. 243. *Traclatus de corpore christi Domini Boneuenture.* Init: *Ad honorem gloriose et indiuidue trinitatis — describam tibi formam &c.* et extat edit. Opp. Lugd. 1668. T. VII. p. 67. in scriptis *De Praeparatione ad Missam.*

XXVI. fol. 248. p. 2. *Bulla Urbani V.* qua prohibentur Superiores religiosi exigere a recipiendis Tironibus Prandia sumtuosa, Coenas, Pecunias, *Jocalia* (Joyaux, Jewells, Juwelen) &c. Incipit: *Ne in vinea Domini nostre licet insufficientibus meritis commissa custodie &c.* et data est Romae 2^o. nonas April. anno septimo. Id est 1369. Raro obvia legitur *Annal. Eccl. Odor. Raynaldi* T. XVI. p. 482. et instaurata est a Gregorio XI. Avenione XII. kal. Mart. anno II.

XXVII. fol. 250. *Richardus Fleming* seu *Flemmynge Angli* Theologi Prof. Oxon. qui a. 1420. ad Sedem *Lincoln.* promotus Collegium inde dictum *Oxonii* a. 1427.

fundavit et a. 1430. obiit, *Sermones V.* habiti *Constantiae* in Concilio docti et graves, qui neque in *Collezione* a me inter *Codices Synodicos Vol. I. P. 3.* nec in gemina a *Schelbornio Amoenit. lit. T. III. et XI.* relata, nec apud *Herm. v. d. Hardt* memorantur, solo *Tannero* in *Bibl. Brit. Hib. p. 287.* indicante *Orationes ejus in Concilio Senensi*, ubi fortasse rescribendum *Constantiensi*, quamvis *Richardus* etiam illi Synodo a 22. Jun. 1423. usque ad 26. Febr. 1424. tentatae interfuerit. Hac occasione errorem noto *T. XVII. Concill. Labb. edit. Venet. col. 95.* quo dicitur Concilium *Senis* celebratum a. D. 1423. et sequentibus. Jam ad ipsos *Sermones.* Thema I. est: *Accipiant, qui vocati sunt. Hebr. 9. 15.* Initium: *Preclarissimi Patres &c. pro exili processu et serie subsequencium omissa in presenciarum consideratione subtili de diuine vocacionis proprietate tripharia &c.* Omittit igitur causam efficientem, materialem

rialem et formalem hujus Vocationis, et solam *finale* juxta *tres*, ut ait, *terminos*, qui sunt *Honor seu perfectio Ferarchie prelatie* (angl. *prelacy*), *sanctificatio vel perfectio ecclesiastice Ferarchie, cena siue refectio olimpice melodie*, expendit. Multus est in exaggerandis malis, quae Ecclesiam vexabant, simonia, venalitate beneficiorum, luxu et ignorantia Praepositorum &c. Inter alia: *Hec causa illa originalis totius scismatis, in Romana scilicet curia reuelatio carnis et sanguinis, quod nunquam erit ei vniuersus in obediencia orbis indifferens, donec eam indifferenter esse didicerit quoad vniuersas Subditorum prouincias in prouisione habilium ad fastigia in eadem, et scientia et meritis compensandis. Item: Sed quomodo negari possunt preces, quas tot regales ymagines in florenis commendant? Item: Ad sanctificationem nempe seu reformationem ecclesie vocauit nos Dominus in pyvano Concilio (1409) sed uoce coruina utebamur dicentes et promittentes: cras cras reformabitur. — Si consimiliter pretendentes nos uelle hic facere vniionem reformationem ecclesie ridiculosius differamus dicendo: Cras reformabimur, de quo cras vno cras puto mille fient, peioribus indubie superuenient pessima. Item: Non possum commiuenti oculo pertransire, quin merendo admirer, et meream admirando, quod in hoc sacro generali Concilio preter venerabiles Religiosos, qui in illa scientia omnes innutriti sunt, ultra duos prelatos in sacra theologia doctores*

maluit

non video &c. Habitum fuisse hunc Sermonem exeunte Quadragesima non uno loco innuitur.

Fol. 264. p. 2. Sermo II. incipit: *Prestantissimi Domini* &c. *Dum veris lacrimis ora rigabam* &c. Parentat *Richardus* celeberrimo Card. *Florentino Francisco Zabarellae*, qui meritis et annis gravis vitam finivit *Constantiae* a. 1417. 25. Sept. ut habet ejus Epitaphium in Templo *Minorum* ejus Urbis. Et 27. quidem sequenti pro concione laudatus est a *Poggio Florent.* 2. vero *Os.* a *Notro*. Utramque Orationem habes in *As.* *Concilii* T. I. P. 9. p. 537. et 46. sed nostrae in *Codice Lips.* unde desumfit *Hardtius*, Autoris nomen adscriptum non erat; nec magis comparet nomen istud in *Cod. Augiae Diuitis* multas ejusmodi Orationes complexo, ut liquet e *Praef.* P. 8. T. cit.

Fol. 270. Sermo III. in *Die Epiphaniae*. Thema: *Surge illuminare ierusalem. Ysa. 60. c.* Initium: *Reuerendissimi* &c. ad ipsam in exordio *sceptrigeram et sublimem celorum reginam salutatione nos decet consueta recurrere* &c. Deinceps e tribus illis verbis *Thematis* triplex *Virgini* textitur *elogium* videlicet: *ex commendabili obedientia virginee puritatis, ex admirabili prefulgencia eximie claritatis, ex ineffabili precellentia deifice dignitatis*; frequenter tamen etiam ad praesentem rerum cardinem respicitur. Ita de debito obediendi *Matri Ecclesiae* ait: *ponente veritatem hanc super candelabrum penalis decreti, que prius sub*

sub uecordie modio delituerat, hac sacra Synodo Constan. Anno domini M^o CCCC^o XV. mens. aprilis die sexta, quo ad Decretum b. a. et d. in Sessione gen. V. datum alludit contra eos, qui pro arbitrio suo, etiam in habitu dissimulato e Concilio disparebant. Ait sancte doctorem memorie venerabilem illum Linconensem (Robert. Grosthead) personaliter, non per nuncium tibus obtulisse pape dicendo inter alia: papalis thronus sicut sol positus est in firmamento mundi, per quem toti orbi lumen celitus deriuatur; sed obtulisse eciam intrepidum mirram correpcionis amare: Cum omnia in terris possit, nichil tamen contra deum potest apostolice sedis sanctitas diuinissima &c. Wiclefsum, cuius ossa factus Episcopus Lincoln. exhumari et comburi iussit, adpellat Spinam, que in illo floridissimo ferto sancte fidei (Academia Oxon.) sic altissimi paciencia volente succreuit &c. Sermonis hujus mentionem facit in illo, quem primum retuli.

Fol. 280. Sermo interpositus in illud Joh. 2. Nuptie facte sunt in cana galilee &c. Dom. II. post Epiph. quae in Festum Antonij Anach. 17. Jan. inciderat, unde pars magna Sermonis in hujus laudibus infumitur. Initium est: Si dum nuptie facte sunt in cana galilee erat mater ihesu ibi, assis et tu pia mater ihesu &c. Est Joh. Gersonis et legitur edit. Opp. di. gae Antwerp. re vero Amstelod. T. II. col. 349.

Fol. 296. Sermo IV. Rich. Fleming Constan. in Concilio gene-

rali In obitu M. Wilhelmi Corff de Anglia Sacre theologie professoris anno dominico M^o. CCCC^o. X. VII. Nihil de hoc Viro mihi compertum aliud, quam, quod a Sigismundo Rom. Rege cum aliis adhibitus sit in deliberatione de componendo cum Friderico Austriaco, ut habetur in Concill. Labb. T. XVI. edit. Venet. col. 125. ubi Corve audit, rite fortassis, aut fortassis communi Nominum praecipue germanicorum in vasto hoc Opere calamitate corrupte. Sermo init: In Christo Rev^{mi}. &c. Inuocato primitus mortis atque vite datoris presidio, in quo fidelium spiritus deposito carnis onere quietata et perenni felicitate letantur pro recolenda memoria Honorabilis Magistri huius et doctores clarissimi, cui hodie humanitatis officia exhibemus, occurrunt pro themate verba apostoli transumptive contenta in epistola dominicali presentis ebdomade, saltem secundum nos (Anglos) qui primam Dominicam (post Pentec.) facimus in octaua trinitatis, originaliterque habentur ad Rom. in VI. c. et sunt hec. Quod mortuus est, mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo. Igitur Exequiae celebratae sunt intra nostram Hebdomadam Dom. VI. post Pentec. Fuit autem Defunctus de clara et fidei profapia ortum ducens, Officio prepositus illius famosi et insignis collegij in alma Vniuersitate Studij Oxonien. quod ex fundacione regum Anglie illustrium Aula regalis (Orielsense Collegium) dicitur, de presentatione destinatus ad hoc sacrum Concilium

cilium R^{mi} patris et domini Cantuariensis totius Anglie Primatis (Henr. Cichelaei) Ambasiator &c. Magnis eum laudibus prosequitur noster, Patremque suum identidem compellat, quia sub tui, ait, magistratus culmen mea cepit filicio indigna et immerita apicem Doctoratus; illibatissimae dicit fuisse puritatis; contra Wiclefum, quem iterum Spinam roseti Oxonie vocat, acerrime pugnasse; palam Constantiae professum esse: Se huc non venisse ad placendum hominibus; velut hic plerique dolenter faciunt; denique piissima ejus sub mortem sensa refert.

Fol. 302. p. 2. Sermo V. factus Constantie in obitu domini Episcopi Sarispurg. de Anglia per dictum D. Richardum tempore Concilij generalis. Et quidem a. 1417. 13. Sept. obierat enim Robertus Halam Card. Ep. Sarisberiensis die 4. ejusd. in arce Gottliebensi, quae horae dimidio abest a Constantia. Initium: O Majestatis Regie, patrum et dominorum preclara conuencio, Cetusque facerrime, quam multis amaritudinibus humane felicitatis dulcedo respersa est! Inter alia: Eya ergo o annulati digitis et in capitibus presulari dyademate coruscantes, eya o decorati pileis et in sedibus doctorali cacumine radiantibus lacrimosis obtutibus propositum vobis spectaculum sollerter intuemini. — Cum heri ad octo dies Rev^{mi} huius patris a castro vicino, in quo mortales clausit oculos, ad sanctuarij huius locum, ubi ultime sibi pecist dormicionis cubile, mestorum hu-

meris caro mortua incipiebatur deferri, visa non erat ibi lacrimarum penuria, — ululabant pauperes et amare deflebant, se tam optimum amisisse pietatis patronum &c. At mox, quod dolendum, abstinuit Librarius manum. Videri tamen potest de magno Reformationis ecclesiasticae Promotore Roberto Fr. Godwinus in Comment. de Praesulib. Angliae. Lond. 1616. p. 404. 4. ubi etiam p. 357. inter Lincolnienses Oratoris nostri res refert, non tamen Scripta, quae me hic nomini Anglico devotus detexisse et indicasse gaudeo.

DCXXVI.

Codex chartaceus boh. Sec. R. 1273 XVI. Folior. 90. 8. inscribitur: *Smysl a Vmysl Krystux gebo wlastnj: Swatosi we'e'e gebo.* Quod est, ut me docuit Cl. Fortunat. Durichijs: Sensus et Intentio Christi ejus propria: Sacramenti Coenae illius. Additur: *Anno Domini 1562. et I. A. quod Johannem Augustam Unionis Fratrum Boemicae sic dictum Episcopum five Seniore interpreto, cujus Acta et Scripta legimus inter Effigies Viror. Erudit. Boh. et Morav. P. II. p. 60. ubi tamen praefens Libellus e Bibliotheca Ambrosiana ad nos delatus non memoratur. Tradit is absque omni acerbitate de iis, quae circa Coenam Dominicam credenda snt, videlicet: esse Panem benedictum et Calicem benedictum Christi ad manducandum et bibendum, esse Corpus Christi illud naturale, quod nec-*